

paullo sumptu : miseriam omnem ego capio, hic potitur
gaudia.

age age, nunciam experiamur contra ecquid ego possiem
blande dicere aut benigne facere, quando hoc provocat.

ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo : 25

880 si id fit dando atque obsequendo, non posteriores feram.
deerit : id meã minime refert qui sum natu maxumus.

SYRVS DEMEA

v

SY. Heus Demea, orat frater ne abeas longius.

DE. quis homo? o Syre noster, salve: quid fit? quid
agitur?

SY. recte. *DE.* optumest. (iam nunc haec tria primum
addidi

885 praeter naturam : "o noster, quid fit? quid agitur?")

servom haud inliberalem praebes te et tibi 5

lubens bene faxim. *SY.* gratiam habeo. *DE.* atqui, Syre,
hoc verumst et ipsa re experiere propediem.

GETA DEMEA (SYRVS)

vi

GE. Era, ego huc ad hos proviso quam mox virginem

890 accersant. sed eccecum Demeam. salvos sies.

DE. o qui vocare? *GE.* Geta. *DE.* Geta, hominem maxumi
preti te esse hodie iudicavi animo meo.

nãm is mihi profectost servo' spectatus satis 5
quoi dominu' curaest, ita uti tibi sensi, Geta,